ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Amplissimo Domino, et Cognato

Tardior sum in scribendo, non quia argumentum sed tempus
deest. Pro mea vice dicam quid sentiam, de studiis, moribus et indole tui
filij. Iuvenis ille sponte sua fertur ad omnia praeclarissima, horas suas
bene impendit, et fructuosius etiam, si non nimius audiendis adstrin-
gatur lectionibus, nam etsi fateor perpetuum studiosum debere esse
mobile, tamen teneriores illae mentes si evagentur aut semper in
seriis se fatigant, ~~et~~ nusquam se firmiter sistunt et pauca stringunt.
Lectionem Graecam illi publice audiendam non puto, nec si velit,
cum fructu poterit. Hora decima melius posset collocari. Quod
si igitur hac methodo procederet. Hora sexta plerumque surgat, ad
semi-octavam Iuris pridianas lectiones repetat et relegat; Hora
octava Dauberum audiat, quem virum permagni aestimo, quia in
illo multa simul conspirant ad promotionem iuris et inter reli-
quos Professores inculpatissima vita studiosis praelucet. Nona
[illegible] audiendo Bornio qui hactenus tantum semel
in philosophicis legit, est enim valetudinarius ~~et~~. Decima
privatim exercitiis domesticis in Ethica vel Oratoria, ad quam
videtur cum affectu quodam propendere. Undecima Dauberus
illum privatim cum Berckrio domi suae exercet; et quanquam
illa historicae lectioni sit destinata, tamen salvo tuo iudicio plus
a Daubero quam pro hoc tempore a Philemone discet. Pomeri-
diana secunda Pellius audiatur, ad eam deinde respiret, reliquas
det Collegio iuris privato vel mathematicis exercitiis; ~~et~~
post coenam cum meo Frederico Iurisconsultum agit. Occasio tam
prona in iure non est negligenda apud illum Professorem, qui
in antiquitates Romanas suos cum delectatione penitius introducit.
Indoles eius mihi perplacet, nam supra suam aetatem et reliquos
gravis est, nec peccat multiloquio, nec inconditis gestibus aliis
malo est exemplo. Aliquoties illum invitavit Drosthardus, etiam
alij, hodie Crocsius, et nulli gravis, omnibus gratus a me
pro merito suo aestimatur. Communicato cum DD. Curatore
Riveto consilio, illi in subsellio professorali cum Barombils, Stan-
dopio, Hauwardo tertium assignavi scamnum, ut ~~cum~~ siquando nostris
velit interesse concionibus, habeat stabilem et don~~atum~~ oratum locum.

Utinam

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521

Utinam eandem de reliquis spem concipere possem. Duo illi Roterodamenses prorsus moribus ἄγροικοι sunt, et vix ac ne vix quidem latine loqui sciunt. Dummodo tamen Pro-Regens aptus sit ad suam spartam cum incolumitate ornandam, non despero de illorum profectu. Progredior paucis ad communia. D. Professores desiderant, ut vestra prudentia, Celsissimorum Principum favor nobis impetret proprium forum, et tutos in circumvicina loca pro studiosis excursus: Si accedat vectigalium immunitas, magnum habituri sumus confluxum. Omnia hactenus hic tranquilla.

Tuae Ampl. addictissimus omni
affectu cognatus Renesse

16 Januarij Bredae

Sigillum Ill. Scholae desiderat [illegible] ut secundum illud, sibi typum [illegible] [illegible] quem [illegible] habere in eadem historia inaugurationis, et alijs libris.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521

Myn Heer

Myn Heer Constantinus Huygens
Ridder, Heere van Zuylichem,
Raet, ende Secretaris, van
Syne Hoocheydt, Curator
van Illustre Schoole en Colle
gie van Orangien te Breda

Per amys

's Graven- Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521